



O·J
INTER·FOLIA·FRVCTV

AD

PAEDAGOGII GISSENSIS SOLENNIA VERNA

DIEBUS V. VI. ET VII. APRILIS MDCCCXXVII

RITE PERAGENDA

OMNES LITERARUM FAUTORES ET CULTORES


EA, QUA PAR EST, OBSERVANTIA

INVITAT

EDUARDUS GEISTIUS,

PHIL. DOCTOR, PAEDAGOGII COLLEGA.

(Inest de Protagorae Sophistae vita disquisitio.)



LITERIS SCHRÖDERI ACADEMICIS.

In historia Sophistarum enarranda ac ferendo de eorum placitis judicio mirum est, quantum prioribus temporibus a vero aberraverint omnes, qui hanc historiae philosophiae partem attigerint, capti Platonis ac Xenophontis auctoritate, quos ipsos, vel metientes illa prioris aetatis lumina, Gorgiam inprimis ac Protagoram, ex homunculis istis, quos sua aetate sophisticam artem exercentes viderent, vel studio ductos, praeceptori suo illorum obtrectatione clariorem lucem circumfundendi, ad longe iniquissimum de illis iudicium ferendum permotos esse putandum est. Coepere quidem iam superiore seculo hoc intelligere historiae philosophicae scriptores ac in suis de Sophistis judiciis maiorem cum diligentiam tum cautionem adhibere; sed nondum eo rem adduxerunt, ut iis debitam gloriam vindicaverint. Atque is, qui de *Sophistis, qui Socratis aetate Athenis floruerunt*, in *Nov. Act. soc. literar. Ultraiect.* Vol. II. docte atque acute nuper disseruit, *Geelius,* quamvis, Sophistis injuriam factam esse, disertis verbis pronunciet, in censura, quam singulorum vitae et placitorum enarrationi subjungit, ipse tamen paulo iniquius de iis judicare mihi videtur. Summopere igitur optandum est, ut tandem existant, qui, locis scripto-

rum

rum diligenter congestis et omni re rite perpensa, sine ira et studio de Sophistis exponant. Cuius rei periculum quum in aliquo Sophistarum facere vellem, Protagoras mihi visus est dignissimus, cui operam meam impenderem. Omnem autem de eo disquisitionem in dissertatione, quam excellentissimi Philosophorum hujus academiae ordinis examini submissurus sum, brevi divulgabo. Nunc paucula quaedam, in Protagorae vita tantummodo versantia, praemittam.

De Protagorae *patria* scriptores consentiunt; omnes enim, eum *Abderis* natum esse tradunt; vid. locc. a Menagio ad Diog. Laert. IX, s. 50. congestos, quibus addi possunt innumeri alii, in quibus *Abderites* cognominatur. Huic rei repugnare videtur, quod Diog. Laert. l. l. Eupolidem comicum in fabula Κόλακες Protagoram *Teium* appellare narrat hoc versu:

ἔνδοθι μέν ἐστι Πρωταγόρας ὁ Τήιος.

et quod Suidas s. v. Πρωταγόρας dicit: *τινὲς δὲ αὐτὸν καὶ Τήιον ἔγραψαν.* Sed Suidam hoc, ut omnia fere, quae de Protagora dicit, ex Diogene desumsisse facile intellectu est. Quod autem Eupolis, Protagorae aequalis, eum *Teium* appellat, hoc modo explicandum videtur: Quum Cyrus Ioniae urbibus bellum inferret, Teii ad evitandum periculum in Thraciam profecti, Abderam ibi condiderunt; cf. Herod. I, 168. *Παραπλήσια δὲ τούτοισι καὶ Τήιοι ἐποίησαν· ἐπεί τε γάρ σφεων εἷλε χώματι τὸ τεῖχος Ἅρπαγος, ἐσβάντες πάντες ἐς τὰ*

τὰ πλοῖα, οἴχοντο πλέοντες ἐπὶ τῆς Θρῃκίης, καὶ ἐνθαῦτα ἔκτισαν πόλιν Ἄβδηρα. Strab. XIV. p. 443. ed. Casaub. 1587. καὶ ἡ Τέως δὲ ἐπὶ χερρονήσου ἵδρυται, λιμένα ἔχουσα. ἔνθεν δ' ἐστὶν Ἀνακρέων ὁ μελοποιός, ἐφ' οὗ Τήϊοι τὴν πόλιν ἐκλιπόντες εἰς Ἄβδηρα ἀπῴκησαν Θρακίαν πόλιν, οὐ φέροντες τὴν τῶν Περσῶν ὕβριν. Nihil igitur mirum videtur, quod poeta Protagoram ex urbe, unde eius genus oriundum erat, cognominat. Ceterum haud insolitum fuisse, una cum Abderitis etiam pristinae eorum patriae mentionem facere, probat Herod. qui eos l. l. τοὺς ἐν Ἀβδήροισι Τηΐους appellat, et versus, quem citat Strabo:

Ἄβδηρα, καλὴ Τηΐων ἀποικία.

Eupolis ergo neque erravit, neque alium significavit Protagoram, ut putat Geelius libro supra laudato p. 73. — Ionicam Protagorae originem etiam hoc probare posse videtur, quamquam huic argumento non ita multum tribui velim, quod, sicut ipsius popularis Democritus, Ionica dialecto scripsit. Fragmentum eius exstat apud Plat. Παραμυθ. πρὸς Ἀπολλ. Moral. T. I. p. 360. ed. Hutten. ubi de Pericle, filiorum mortem constanti animo ferente: Τῶν υἱέων νεηνιῶν ὄντων καὶ καλῶν, ἐν ὀκτὼ δὲ ταῖς πάσῃσιν ἡμέρῃσιν ἀποθανόντων, νηπενθέως ἀνέτλη. εὐδίης γὰρ εἴχετο, ἐξ ἧς πολλὸν ὤνητο κατὰ πᾶσαν ἡμέρην εἰς εὐποτμίην καὶ ἀνωδυνίην καὶ τὴν ἐν τοῖς πολλοῖσι δόξαν. πᾶς γάρ τίς μιν ὁρῶν τὰ ἑαυτοῦ πένθεα ἐρρωμένως φέροντα, μεγαλόφρονά τε καὶ ἀνδρεῖον ἐδόκει εἶναι, καὶ ἑαυτοῦ κρείσσω· κάρτα εἰδὼς τὴν ἑαυτοῦ ἐν τοιοῖσδε πράγμασι ἀμη-

ἀμηχανίην. Ac fortasse ob id ipsum, quod pristinae patriae memor, Ionica dialecto uteretur, Τήϊον eum appellavit Eupolis.

Sed ad aliam accedo quaestionem multo difficiliorem, in temporum ratione versantem. Ac primum quidem quaerendum est, *quot annos vixerit Protagoras*, deinde, *quando mortuus sit*, ut inde *natalem eius annum* definire possimus.

De annis, quos impleverit Protagoras, certissimum habemus testimonium Platonis Men. p. 91. e. Πρωταγόρας δὲ ἄρα ὅλην τὴν Ἕλλαδα ἐλάνθανε διαφθείρων τοὺς συγγιγνομένους καὶ μοχθηροτέρους ἀποπέμπων ἢ παρελάμβανε πλέον ἢ τετταράκοντα ἔτη· οἶμαι γὰρ αὐτὸν ἀποθανεῖν ἐγγὺς ἑβδομήκοντα ἔτη γεγονότα, τετταράκοντα δὲ ἐν τῇ τέχνῃ ὄντα; quocum consentit Apollodorus ap. Diog. Laert. IX, s. 56. Alia autem narratio, cuius Diogenes loco modo laudato mentionem facit, quum neque coeat cum multis aliis rebus, quas de Protagora veteres tradunt, et Platonis, gravissimi sane hac in re testis, testimonio repugnet, rejicienda esse videtur. In ipso Platonis dialogo Protagora nihil invenitur, quod indicare possit, qua aetate Protagoras eo tempore, quo hic dialogus habitus sit, fuerit, ac si quid ejusmodi inveniretur, nihil tamen inde colligi posset, quod fictum hujus dialogi tempus nulli omnino tempori historico respondet; qua de re iam monuit Athen. V, c. 18. Tom. II. p. 359.

Schweig-

Schweigh. fusius exposuerunt: Schleiermacherus in versione Platonis vernacula vol. I. tom. I. p. 219. Heindorfius in Plat. dial. sel. Vol. II. p. 466. Astius in libro: Platons Leben und Schriften. p. 75. (Miror Astium, qui quanquam ipse plurimis verbis demonstret, in Platonis Protagora diversa tempora confundi, ex hoc tamen dialogo colligi posse putat, Protagoram *plus septuaginta annos* vixisse. Ejus verba l. l. margini apposita haec sunt: „*Nach dem Menon* 91. e. *starb Protagoras im 70ten Iahre, was dem bestimmten Zeugnisse des Platon, Protag.* 312. c. *widerspricht.*" Sed in eo loco, quem citat Astius, 312. c. nihil tale reperitur; nam colloquitur ibi Socrates cum Hippocrate de eo, quid sit Sophistes. Quum igitur typothetae errore falsa pagina citata esse videatur, quaerendum est, quemnam potissimum locum indicare voluerit Astius; sed frustra quaeras! in omni dialogo nullum *certum testimonium* de Protagorae aetate invenies. Unicus locus, qui huc trahi posse videtur, ab Astio quoque citatus, est p. 317. c. ubi Protagoras de annorum suorum multitudine loquitur, et gloriatur, se uniuscujusque eorum, qui adsint, patrem esse posse: Καίτοι πολλά γε ἔτη ἤδη εἰμὶ ἐν τῇ τέχνῃ. καὶ γὰρ καὶ τὰ ξύμπαντα πολλά μοί ἐστιν· οὐδενὸς ὅτου οὐ πάντων ἂν ὑμῶν καθ᾽ ἡλικίαν πατὴρ εἴην. Sed quam vagum est istud testimonium! quam suspectum in ore hominis, quem vanum ac plurima de se jactantem repraesentare studet Plato! quam plane nullum in dialogo, fictum tempus prae se ferente!)

De

De Protagorae *mortis genere* pluribus dicere, opus non esse videtur, quum de eo consentiant scriptores; cf. locc. quos congessit Menag. ad Diog. Laert. IX, s. 52. quibus addam Plutarch. I. p. 538. F. ed. Francof. Quum ab Atheniensibus ob notissimum illud dictum, *se de diis neque ut sint, neque ut non sint, habere dicere*, capitis damnatus esset, (nam ad capitalem poenam, non exsilium eum damnatum esse probat Ioseph. contr. Apion. II. T. II. p. 493. Havercamp. εἰ μὴ θᾶττον ἔφυγε, συλληφθεὶς ἂν ἐτεθνήκει.) in Siciliam aufugiturus, naufragio periit.

Sed difficilius est, *annum, quo decessit*, constituere. Certum est, eum aliquot annos ante Socratem diem obiisse; nam Plato in Men. l. supra l. Theaetet. p. 164. e. 168. e. Euthydem. p. 286. c. et saepius Socratem de eo ut pridem mortuo loquentem facit; item eum aliquantum temporis ante Euripidem mortuum esse oportet, quum Diog. Laert. IX, s. 55. Philochorum referre dicat, Euripidem in Ixione Protagorae mortis genus innuere: φησὶ δὲ Φιλόχορος, πλέοντος αὐτοῦ εἰς Σικελίαν τὴν ναῦν καταποντισθῆναι, καὶ τοῦτο αἰνίττεσθαι Εὐριπίδην ἐν τῷ Ἰξίονι. Euripides autem mortuus est initio Ol. XCIII. cf. Valckenar. diatribe in Eurip. perd. dram. rell. p. 198. ed. Lips. Fabr. bibl. Gr. Vol. II. p. 235. s. ibique Harles. Ex eo igitur, quod Euripides in fabula, quam certe non ultimis vitae diebus composuit, Protagorae morti allusit, suspicere possumus, Protagoram, ut minimum tem-

temporis intervallum ponam, tertio vel quarto ante Euripidem anno, ergo initio Ol. XCII. vita decessisse. Hoc egregie confirmatur ea re, in qua gravissimum ad Protagorae mortis tempus constituendum adiumentum reperisse mihi videor, verbis scilicet Diog. Laert. IX, s. 54. Κατηγόρησε δὲ αὐτοῦ Πυθόδωρος Πολυζήλου, εἷς τῶν τετρακοσίων. *Quadringenti*, de quorum historia conferas Thucyd. VIII, c. 63—98. van Spaan dissertat. de Antiph. orat. Tom. VII. orat. Graec. cur. Reisk. p. 815. ss. ubi ceteri scriptores, eorum mentionem facientes, laudantur, primis quatuor mensibus Ol. XCII, 1. a. Chr. n. 411. rempublicam Atheniensium administraverunt. Quanquam autem probe intelligam, ex eo, quod Pythodorus, unus ex numero quadringentorum, Protagoram accusaverit, certo colligi non posse, eum ipsis quadringentis imperantibus accusatum et condemnatum fuisse, hoc tamen eo verisimillimum fit, quod *post* eversam quadringentorum dominationem, quum eorum alii capitis damnati, alia Attica expulsi, alii ἄτιμοι facti essent, nullus eorum causas agere potuisse videtur. Sin autem ponimus, Protagoram *ante* imperium quadringentorum obiisse, novis implicamur difficultatibus, quum ejus annus natalis nimis longe recedat. Quod autem Diog. l. l. subjungit, Aristotelem narrare, Evathlum Protagoram accusasse, hoc ortum esse nemo non videt ex errore sive Aristotelis, sive, quod verisimilius est, Diogenis, confundentis hanc causam capitalem cum notissima illa lite inter Protagoram et Evathlum de διδάκτρῳ,

de qua ipse Diog. tradit IX, s. 56. et fusius Gellius N. A. V, 10. — Quae de mercede, quam a discipulis acceperit Protagoras tradunt scriptores, (Diog. Laert. l. l. s. 52. et Suid. s. v. Πρωταγόρας eam *centum minarum* et cum his consentiens Quintilian. III, 1. eam *decies mille denariorum* fuisse dicunt) ficta sunt; cf. Aristotel. Ethic. ad Nicom. IX. 1. Ὅτε Πρωταγόρας διδάξειεν ἅ δήποτε, τιμῆσαι τὸν μαθόντα ἐκέλευε, ὅσου δοκεῖ ἄξια ἐπίστασθαι, καὶ ἐλάμβανε τοσοῦτον. Quae verba Aristotelis probant, quam alienus fuerit Protagorae animus ab ista avaritia, quam certatim ei exprobant scriptores. Atque haec res exemplo esse potest, quanta cautio adhibenda sit in iis, quae de Sophistis tradunt seriores aevi scriptores. —

Quum igitur, ut supra demonstravi, Protagoras mortuus sit Ol. XCII, 1. *septuagesimo aetatis anno*, ejus *annus natalis* esse debet Ol. LXXIV, 4. a. Chr. n. 481. vel 480. quo anno Xerxes, trajecto Hellesponto, Abderam quoque invisit; cf. Herod. VII, 110. 120. — Geelius, qui in eis, quae ad Protagorae aetatem definiendam spectant, justo brevior est, in eo mecum consentit, quod p. 70. Protagoram Ol. XCII. adhuc vixisse et Ol. LXXIV. natum esse statuit, etsi ipsos Olympiadum annos non addat; sed mortis certe annum non posteriorem Ol. XCII, 1. esse posse satis demonstrasse puto. Harles. ad Fabr. bibl. Gr. T. II. p. 629. dicit, Protagoram Ol. XCIII, 2. e vivis excessisse, sed nullam omnino hujus

sen-

sententiae causam addit. — Nostrae anni natalis constitutioni repugnare videtur, quod Philostr. vit. Sophist. p. 494. Olear. narrat, Protagorae patrem, (de cujus nomine ambigitur, nam alii eum *Maeandrum*, alii *Maeandrium*, alii *Artemonem* appellant; cf. Philostr. l. l. Diog. Laert. l. l. s. 50. et Suid. s. v. Πρωτ.) quum Xerxem domo et muneribus excepisset, ab eo impetrasse, ut filio cum magis versari liceret: δεξάμενος δὲ τὸν Ξέρξην οἰκίᾳ τε καὶ δώροις, τὴν ξυνουσίαν τῶν μάγων τῷ παιδὶ παρ' αὐτοῦ εὕρετο; (ex qua Magorum disciplina Protagoram supra memoratam de diis sententiam hausisse putat Philostratus.) Nam secundum nostram rationem Protagoras, quum Xerxes Abderam veniret, si modo natus erat, certe nondum unum annum impleverat. Quum igitur idem de Democrito narrent Val. Max. VIII, 7. *Democritus quum divitiis censeri posset, quae tantae fuerunt, ut pater ejus Xerxis exercitui epulum dare ex facili potuerit*, et Diog. Laert. IX, s. 34. οὗτος (Δημόκριτος) μάγων τινῶν διήκουσε καὶ Χαλδαίων Ξέρξου τοῦ βασιλέως ἐπιστάτας τῷ πατρὶ αὐτοῦ καταλιπόντος, ἡνίκα ἐξενίσθη παρ' αὐτοῦ, atque in hunc id longe commodius conveniat, jamdudum observaverunt viri docti, Philostratum confudisse Protagoram cum Democrito; cf. Brucker. Hist. crit. Phil. T. I. p. 1202. Tennemann. Gesch. der Phil. T. I. p. 271. not. Democritus enim, si eum Ol. LXX. (v. infra) natum esse statuimus, tempore expeditionis Persicae viginti annorum fuit.

Venio

Venio nunc ad aliam quaestionem, de qua minime consentiunt viri docti, *utrum Protagoras Democriti discipulus fuerit, nec ne.* — Veteres narrant, Protagoram primo *bajulum* fuisse, et instrumentum quoddam portandis oneribus idoneum (τύλην) invenisse, postea, quum singulari in lignis ordinandis ac portandis arte Democritum sibi conciliasset, ejus discipulum factum esse; verba Gellii, hanc rem N. A. V, 3. narrantis, apponam: *Protagoram, virum in studia doctrinarum egregium, cujus nomen Plato libro illi suo inclito inscripsit, adolescentem ajunt, victus quaerendi gratia, in mercedem missum, vecturas onerum corpore suo factitavisse. Is de proximo rure in Abderam oppidum, cujus popularis fuit, caudices ligni plurimos, funiculo brevi circumdatos, portabat. Tum forte Democritus, civitatis ejusdem civis, homo ante alios virtutis et philosophiae gratia venerandus, quum egrederetur extra urbem, videt eum cum illo genere oneris, tam impedito ac tam incohibili, facile atque expedite incedentem, et prope accedit, et vincturam posituramque ligni scite periteque factam considerat, petitque, ut paulum acquiescat; quod ubi Protagoras, uti erat petitum, fecit, atque itidem Democritus acervum illum et quasi orbem caudicum, brevi vinculo comprehensum, ratione quadam quasi geometrica librari continerique animadvertit, interrogavit, quis id lignum ita composuisset; et quum ille a se compositum esse dixisset, desideravit, uti solveret, ac denuo in modum*

dum

dum eundem collocaret; at postquam ille solvit ac similiter composuit, tum Democritus animi aciem solertiamque hominis non docti demiratus: mi adolescens, inquit, quum ingenium bene faciendi habeas, sunt majora melioraque, quae facere mecum possis; abduxit eum statim, secumque habuit, et sumtum ministravit, et philosophiam docuit, et esse eum fecit, quantus postea fuit. Hoc confirmatur auctoritate Epicuri, quem idem in epistola περὶ ἐπιτηδευμάτων narrantem laudat Athen. VIII, c. 13. tom. III. p. 305. et 306. Schweigh. ἐν δὲ τῇ αὐτῇ ἐπιστολῇ ὁ Ἐπίκουρος, καὶ Πρωταγόραν, φησὶ, τὸν σοφιστὴν ἐκ φορμοφόρου καὶ ξυλοφόρου, πρῶτον μὲν γενέσθαι γραφέα Δημοκρίτου· θαυμασθέντα δ᾽ ὑπ᾽ ἐκείνου ἐπὶ ξύλων τινῶν ἰδίᾳ συνθέσει, ἀπὸ ταύτης τῆς ἀρχῆς ἀναληφθῆναι ὑπ᾽ αὐτοῦ· καὶ διδάσκειν ἐν κώμῃ τινὶ γράμματα, ἀφ᾽ ὧν ἐπὶ τὸ σοφιστεύειν ὁρμῆσαι. Item Diog. Laert. X, s. 8. refert Epicurum dicere φορμοφόρον Πρωταγόραν, καὶ γραφέα Δημοκρίτου, καὶ ἐν κώμαις γράμματα διδάσκειν. Locos integros consulto apposui, ut, quam certa et gravia sint haec testimonia, melius intelligatur; cf. etiam Diog. Laert. IX, s. 53. Suid. s. v. Πρωτ. Protagoram τύλην invenisse, Aristoteles quoque narraverat, ut testatur Diog. l. l. Καὶ πρῶτος τὴν καλουμένην τύλην, ἐφ᾽ ἧς τὰ φορτία βαστάζουσιν, εὗρεν, ὥς φησιν Ἀριστοτέλης ἐν τῷ περὶ παιδείας. Hanc quidem de Protagora bajulo, et de modo, quo cum Democrito consuetudinem contraxerit, narrationem veram esse contendere non ausim, sed hoc tamen e locis allatis apparere

rere videtur, neminem veterum dubitasse, quin Protagoras Democriti discipulus fuerit. Nihilominus inter nostrates exstiterunt, qui hoc fieri potuisse negarent: *Meinersius* in libro: Geschichte der Wissenschaften. tom. II. p. 174. not. *Tiedemannus:* Geist der spekulativen Philosophie. tom. I. p. 263. 350. s. (qui eum *Heracliti* discipulum fuisse putat), et *Tennemannus:* Geschichte der Philosophie. tom. I. p. 380. Contendunt enim, Protagoram multo antiquiorem Democrito fuisse. Attamen ipsi Democriti annum natalem inter septuagesimam et septuagesimam secundam olympiadem ponunt; cf. Tennemann. libr. laud. p. 271. not. Tiedemann. libr. laud. p. 262. ut mihi videtur recte; cf. Harles. ad Fabr. bibl. Gr. tom. II. p. 629. Geel. libr. laud. p. 69. Etiamsi igitur ponamus, Protagoram nonaginta annos vixisse, et quum Xerxes Thraciam peragraret, jam adolescentem fuisse, tamen non major natu Democrito, sed eodem fere tempore, Ol. LXX. natus esset. Sed quum ex iis, quae supra exposuimus, sequatur, Protagoram circa initium Ol. LXXV. demum natum, Democrito viginti fere annis juniorem fuisse, in antiquitatis testimonio, Protagoram Democriti discipulum fuisse, acquiescendum esse puto. (Alia quaedam, quae Meinersius l. l. ad explodendam de Protagora, Democriti discipulo, sententiam attulit, bene refutavit Geelius p. 70. ss.) Ac vel sine antiquitatis testimonio verisimillimum esset, duobus viris eodem tempore ejusdem urbis incolis atque deditis iisdem studiis commercium quoddam intercessisse.

Quod

Quod autem haec eorum consuetudo postea plane desiit, atque ipsi de placitis suis maxime inter se discrepaverunt, (cf. Sext. Emp. adv. Math. VII, s. 369. p. 442. Fabric. τῶν φυσικῶν οἱ μὲν πάντα ἀνῃρήκασι τὰ φαινόμενα, ὡς οἱ περὶ Δημόκριτον, οἱ δὲ πάντα ἔθεσαν, ὡς οἱ περὶ τὸν Ἐπίκουρον καὶ Πρωταγόραν.) id inde explicandum videtur, quod uterque eorum (postquam Protagoras in vico quoddam literas docuerat, cf. Epicur. in locc. Athen. et Diog. supr. laud.) urbem patriam deseruit, et alter eorum orientales regiones petiit, alter occidentales, Graeciam inprimis ac *Siciliam*; cf. Plat. Hipp. maj. p. 282. d. e. ubi Hippias narrat, se eodem tempore, quo Protagoras, in Sicilia versatum esse: ἀφικόμενος δέ ποτε εἰς Σικελίαν, Πρωταγόρου αὐτόθι ἐπιδημοῦντος καὶ εὐδοκιμοῦντος καὶ πρεσβυτέρου ὄντος, καὶ πολὺ νεώτερος ὤν, ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ πάνυ πλέον ἢ πεντήκοντα καὶ ἑκατὸν μνᾶς εἰργασάμην. — Neque repugnat, quod Sext. Emp. adv. Math. VII, s. 389. p. 446. s. Fabr. dicit, Democritum Protagorae placito de phantasiis contradixisse: Πᾶσαν μὲν οὖν φαντασίαν οὐκ εἴποι τις ἀληθῆ διὰ τὴν περιτροπήν, καθὼς ὅ τε Δημόκριτος καὶ ὁ Πλάτων, ἀντιλέγοντες τῷ Πρωταγόρᾳ, ἐδίδαξαν: sed confirmatur potius hac re sententia nostra; nam Democritus in eum potissimum finem Protagorae contradixisse videtur, ne quis crederet, illum ex sua disciplina hoc placitum hausisse; cf. Fabr. not. ad l. l.

Unius adhuc rei mentionem faciam, Protagorae vitam spectantis. Narrat Diog. Laert. IX, 50. secundum Heraclidem

dem Ponticum, eum *Thuriis leges scripsisse*: Πρωταγόρας — Ἀβδηρίτης, καθά φησιν Ἡρακλείδης ὁ Ποντικὸς ἐν τοῖς περὶ νόμων· ὃς καὶ Θουρίοις νόμους γράψαι φησὶν αὐτόν. Geelius p. 77. putat, quum Protagoras e nullo alio scriptore ut legislator innotuerit, locum Heraclidis aut corruptum aut a Diogene male lectum pro Protagorae *Pythagorae* nomen habuisse. Sed quum eo ipso tempore, quo Protagoras quam maxime floruit, Ol. LXXXIV. (cf. Diog. Laert. IX, s. 55. Ἀπολλόδωρος δέ φησιν — ἀκμάζειν κατὰ τὴν τετάρτην καὶ ογδοηκοστὴν Ὀλυμπιάδα, ubi versio latina falso habet: circa *septuagesimam* quartam Olympiadem) Atheniensium colonia Thurios deducta sit, et Sophistae a rebus publicis gerendis minime alieni fuerint (cf. Plat. Hipp. maj. init.) de illa Protagorae legislatione dubitandum non esse puto; cf. etiam Richter. ad Fabr. bibl. Gr. tom. II. p. 38.

